



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Titvlvs XLI. De In Integrvm Restitvtione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

TITVLVS XLI.

DE IN INTEGRVM RESTI- TVTIONE.

CAPITVLVM PRIMVM.

Requisiuit.

PARAPHRASIS.

Prædia cuiusdam ecclesiæ colonis data fuerunt sub censu modico, quæritur, vtrum talis alienatio rata manere debeat, an reuocari. Respondet Alexander III. Si manifestò appareat, ecclesiam læsam fuisse, quæ ita alienata sunt, ad eiusdem proprietatem, seu dominium reducenda esse, propterea quòd Episcopus conditionem ecclesiæ deterioreni facere non potuerit, atque ecclesia iure Minoris natu gaudeat, vt semper illæsa seruari debeat. Cæterùm si coloni interim dicta prædia expensis vel labore suo meliora reddiderunt, sumptibus bona fide factis non conuenit eos defraudari.

SVMMARIVM.

1. *Ecclesia instar Minoris illæsa seruari debet beneficio restitutionis in integrum.*
2. *Vt autem Minor vel Ecclesia per contractum, vel quasi contractum læsa restitui debeat, necesse est, vt læsio grauis vel notabilis appareat, vel in iudicio ostendatur.*
3. *Ita autem restitui debet, vt tamen ipsa lucrum non reperiat cum alterius partis detrimento.*
4. *Et priusquam restituatur aduersus emptorem, pretium emptionis reddere debet, & donec hoc soluat, emptor se retentione rei defendere potest.*
5. *Expensâ factâ ab emptore in rem emptam à Minore vel Ecclesia, debent esse necessaria vel viles, non autem voluptuaria; non enim hæc, sed illa sola restituntur.*
6. *Si valor meliorationum tempore restitutionis faciendæ minor est, quàm expensarum & laboris, sufficit restituere valorem presentis meliorationis.*
7. *Si autem superet, sufficit restituere expensus & laboris æstimationem.*
8. *Si restitutio in integrum faciendâ est Ecclesiæ, vel Minori læsi in alienatione fundi, fructus percepti ab emptore restituendi non sunt, siue adhuc extant, siue exinde locupletior factus sit.*
9. *Si Minor vel Ecclesia in contractu v.g. emptionis aut venditionis læsa est tantùm in pretij quantitate, sufficit contractum pretij iustitiâ compleri, nec opus est eum refundi.*

Licet aliqui Canonistæ existiment, casum huius c. intelligendum esse de contractu locationis ad tempus longum, cum & hæc alienatio quædam censeatur, vt dixi lib. 3. tract. 4. c. 10. n. 1. tamen litera contradicit, cum dicitur proprietatem Ecclesiæ restituendam esse; cum tamen in contractu locationis ad tempus longum non rei proprietas, sed dominium tantùm vtile transferatur. Igitur intelligi debet casus de contractu censuali reseruatius, qui ita institui solet, vt fundus pleno dominij iure in alterum, v. g. colonum transferatur, reseruata pensione annua ex eodem fundo, iuxta l. vlt. C. de rerum permutat.

NOTANDVM I. Ecclesia, instar Minoris natu, semper illæsa seruari debet, per beneficium

ficium restitutionis in integrum. Ita etiam habetur in c. 3. hoc tit. Ratio afferri debet: partim quia magnus, & publicus est Ecclesie fauor: partim quia rebus Ecclesie administratores præficiuntur, sicuti pupillis & Minoribus natu curatores: Quare de vtrisque eadem ratione dicendum, quod per contractus, & quasi contractus rem meliorem facere possint, non item deteriorem. Est autem hoc maius Ecclesie, quam Minoris natu privilegium. propterea quod in Ecclesia non certo tempore aut annis definitum sit, sed semper duret, quippe cum ecclesie fauor semper maneat. Volo dicere: Quotiescunq; Ecclesia in contractu, aut quasi contractu lædatur, peti posse in integrum restitutionem, tamē intra quadriennium post apparentem læsionem, vt infra dicam, & videri hic potest Abb.

NOTANDVM II. Vt Minor, vel Ecclesia, quæ contractum, aut quasi contractum valide instituit, in integrum restitui debeat, necessarium est, vt læsio appareat, vel in iudicio ostendatur. Neque enim hoc loco præsumptio aliqua est contra eum, quocum contractum est, vt satis sit læsionem probari periuramentum partis, sicuti in casu c. vlt. De his quæ vi, vt bene hic annotauit Aug. Berolius n. 7. vbi regulam tradit; Si damnum seu læsio allegetur proueniens non ex maleficio, sed ex contractu, alioue gesto, tum non periuramentum, sed per testes probari debet.

Adde, quod ostendendum sit, non qualemcunq; etiam modicam læsionem interuenisse (nam minima, seu modica non curat Prator) sed gratem seu notabilem, c. penult. ita. Gl. ver. enorme, de rebus Eccles. non alienand. & l. scio. 4. ff. hoc tit. vbi Bartol. ait; Quod in his, quæ contra ius commune conceduntur (quale est beneficiū restitutionis in integrum) de minimis seu modicis non curatur.

Debet autem damnum non absolute spectari, sed cum ordine ad materiam contractus: Vt si Minor, vel Ecclesia prædium, cuius iustum pretium est mille florenorū, vendat 970. non restituetur, quia modica læsio est: Sin autem prædium, quod minimum valuit 120. ipsa vendidit 70. restitutio conceditur. Ita Abb. hic n. 7. & Molin.

NOTANDVM III. Minor, vel Ecclesia in contractu, aut quasi contractu læsa, ita restitui debet, vt tamen ipsa lucrum non reportet cum alterius partis detrimento: Id enim æquitas non patitur, vt alter cum alterius detrimento locupletetur, iuxta reg. locupletari, ff. de reg. iuris. Ita sumitur ex hoc c. & habetur expresse in l. vn. C. de reputationibus; *Qui restituitur in integrum, sicut in damno morari (seu versari) non debet, ita nec in lucro, vbi supplet Gl. cum alterius iactura.* quare dicunt DD. vt videre est apud Berolium n. 20. Sfortiam tract. de restit. in integr. p. 1. q. 47. a. 1. quod restitutio vtrique parti communis sit; quia vterque contractuentium in pristinum statum reponendus est.

Hinc sequitur primò; Quod Minor, vel Ecclesia, quæ aduersus emptorē restituitur, in primis pretium emptionis reddere debeat, l. pretia, 10. C. de prædij minorum; Deinde expensas omnes, quas emptor vtiliter in re fecit, vnà cum laboris æstimatione, vt hic dicitur, & in l. intra, 39. in fine. ff. de minoribus. Et rectè monent Abb. hic n. 3. Berolius n. 25. Guil. Redoanus de rebus Ecclesie non alienandis, q. 23, vbi de restit. in integrum, §. Sed in casu, n. 23. Emptorem, donec ei ista soluantur, retentione rei se defendere posse. Quemadmodum pictor v. g. aut scriptor interim, donec ei satisfiat de mercede, retentionem membranæ habet, in qua scripsit, aut pinxit, secundum Gl. in l. Si non sortem, 26. §. si centum, ver. retineatur, ff. de condi. et indebiti.

Verum, quod attinet ad pretium, si Minori etiam cum auctoritate tutoris aut curatoris (sed sine Iudicis interueniente decreto) solutum fuit ab emptore, sed non versum in rem eius, quia absumptum fuit, neque inde Minor locupletior factus: hoc casu ipsum per restitutionem in integrum defendendum esse, vt restituere non cogatur l. Sine, 32. §. Interposito, ff. de administrat. tutorum, §. At ex contrario, Instit. Quibus alienare non licet, & tradit ex communi Sfortia cit. q. 47. a. 4. Quare monent DD. eautos esse debere debitores Minorum, vt cum Minoribus natu debita soluere volūt, Iudicis auctoritatem & decretum adhibeant, exce-

pta solutione annuorum reddituum, ad quam tutoris seu curatoris auctoritas sufficit, l. sancimus, 24, C. de administr. tutorum.

Aduerte tamen, paulò mitius de hac re locutum esse IC, Paulum in l. Quod si minor, §. restitutio, ff. de minoribus; Cùm quis ex necessitate soluit, (intellige cum tutoris consensu) quod pupillo debitum est, mitius cum ipso agendum esse, quàm si pecuniam eidem credidit; vt in priore casu: tunc solum pretium amittat, quando illud soluit, cùm dissipaturum, aut amissurum non ignoraret, adeoque absque culpa non fuit; secus autem si culpæ expers fuit. Videri potest Mol. cit. disp. 463. princ.

5 Quod attinet ad expensas factas ab emptore in rem emptam à Minore, vel Ecclesia, in primis debent esse necessariae, aut vtilis, non ad voluptatem institutæ: hæ enim non restituuntur, vti constat ex cit. l. Sine, §. Item respondit; *Sumptibus voluptatis causa ab emptore factis adolescentem onerandum non esse.* Additur tamen; *Quæ ab eorundem adificiis ita auferri possunt, vt in facie pristina (id est, quæ fuit ante venditionem) adificium esse possit, emptori auferre permittitur oportere.*

Deinde, quod attinet ad expensas necessarias, & vtilis, controuersia est inter DD, vtirum eæ, vnà cum æstimatione laboris, computandæ ac restituendæ sint absolutè; an verò in ordine ad valorem meliorationum, quem tempore restitutionis faciendæ habent. Respondeo ex communi sent. quam tradunt hîc Abb. n. 4. Beroius n. 38. Sfortia cit. q. 47. Ioann. Gasias de melioramentis & expensis, c. vlt. n. 3. Molina tract. 2. disp. 463. n. 10. & 11. & Dico I. Si valor meliorationum tempore restitutionis faciendæ minor est, quàm sit æstimatio expensarum & laboris, sufficit restituere valorè præsentis meliorationis. Exempli causâ: Aliquis in fundum expendit mille; sed meliorationes tempore restitutionis valent tantum 500, sufficit restituere 500. Itasumitur ex l. in fundo, 38. ff. de rei vindic. Ratio reddi debet. Nam alioquin Minor, vel Ecclesia de nouo læsionem contraheret, ideò-

que non in integrum restitueretur. Et cùm alterutrum hoc casu iacturam pati oporteat, magis est, vt dicamus ad eum pertinere, qui expensas faciendæ causam præbuit.

Dico II, Si valor meliorationum tempore restitutionis faciendæ superet valorem seu æstimationem expensarum ac laboris, tunc sufficit restituere expensas, & laboris æstimationem. Ita sumitur ex hoc. & cit. l. in fundo, vbi ita statuitur, de bonæ fidei possessore, si rem alienam, in quam sumptus fecit, restituere cogatur. Ratio asserutionis reddi debet: Cùm enim augmentum, seu melioratio accessoria sit rei, ideò cum eius restitutione venire debet: quam obrem fictione iuris censetur semper fuisse in dominio eius, cui restitui debet: dummodò ipse indemnis seruetur, restituendo ipsi expensas, atque laboris æstimationem. Quare idem eadem ratione dicendum in alijs restitutionibus, quæ fiunt v.g. per rescissionem alienationis ob læsionem vltra dimidium iusti, item à vasallo, emphyteuta, fideicommissario. Veruntamè testatur Aluarus Valaf. apud Molinam cit. disp. 463. n. 11. In Lusitania consuetudine receptum esse, vt semper attendatur ad valorem augmenti, quem habet tempore restitutionis, siue is maior, siue minor sit, quàm valor expensarum, &c.

Idq; vt expeditum, ita satis æquum videtur, si restitutio faciendæ sit ab ijs, qui dominium fundi, seu plenum, habuerunt, vt emptor; seu saltem vtile, vt vasallus, fideicommissarius &c. ideòque augmentum in re propria fecerunt: consequenter dici posse videtur, quòd repetere possint meliorationes, quatenus tempore restitutionis valent. Nam alioquin si minus emptori restituitur, tum venditor locupletabitur, cum iactura emptoris, si æstimentus, quòd, vt dixi, rem, quæ sua erat, tradere cogatur. Et ita sumi posse videtur ex l. domos, 58. ff. de Legat. vbi Iason n. 4. Et confirmari potest ex l. vlt. §. Si per mulierem, ff. de fundo dotali, vbi respondetur; Si maritus, vxore mortua, fundum dotalem restituere debeat, in quo meliorationes fecerat; donec earum valor restituitur, retinere illum posse fundum, imò

imò & fructus lucrari non omnes, sed quatenus ex melioramentis percipiuntur, non aliam quidem ob causam, nisi quia ex re sua fructus lucratur. Videri potest Mol. cit. disp. 463. n. 14.

QVÆRITVÆ PRIMÒ: Quando restitutio in integrum facienda est, quia Ecclesia, vel Minor in alienatione fundi læsus est, vtrum etiam fructus percepti ab emptore restituendi sint, si adhuc extant, vel exinde locupletior factus sit. Ita affirmat hic Abb. n. 4. Berouius n. 41. Couar. 1. resol. c. 2. n. 1. & docuisse videtur Paulus in cit. l. Quòd si minor, §. restitutio. Ratio dari debet, quia emptor in tali casu, quo fundus restituendus venit, bonæ fidei possessori iuris quadam fictione comparari solet: At verò bonæ fidei possessor fructus extantes, aut quatenus locupletior factus est, restituere cogitur, aut pro sumptibus, seu expensis, quas in rem fecit, computare, iuxta l. sumptus, 48. ff. de rei vindic. & dixi lib. 3. Theol. moral. tr. 2. c. 3.

Sed contrarium rectè docet Molin. tr. 2. tom. 2. disp. 575. Less. lib. 2. c. 17. dub. 10. & sumitur apertè ex c. penult. de rebus ecclésiæ non alienand. vbi Pontifex cõcessa restitutione in integrum alicui Monasterio, omnes fructus ex fundo feudali perceptos ad iudicat Laico perceptori, tametsi plurimũ superaret sumptus & laborem in fundo colendo adhibitum. Ratio est manifesta, quia fructus ex fundo percepti pertinent ad eius dominum; Emptor autem erat dominus fundi; ergo sibi acquisiuit fructus. Neque ratio est, cur per restitutionem in integrum Ecclesiæ, vel Minori adjudicentur; cum ratione fructuum læsus non fuit, quando, vt ponimus, iustum pro re vendita pretium accepit, quod & elocare poterat. Sin autem pretium minus iusto fuit, tunc fateri oportet, fructus restituendos esse, non totaliter, sed secundum proportionem læsionis, seu pretij diminuti.

Ad l. Quòd si minor, respondeo cum Molina cit. disput. 463. n. 6. Non omnia Veterum IC. responsa, tanquam indubitata nobis recipienda esse; cum quædam illorum

subtilitatem magis suo pte ingenio excogitam sectentur, quàm naturalem æquitatem; non rarò etiam contraria diuersorum Auctorum responsa habeantur, quæ in iuris corpore digesta non sunt, vt iuris auctoritatem omnia habeant (cum id fieri impossibile sit) sed vt, quod magis rationi conueniens videtur, amplectamur, vt etiam Couar. annotauit cit. c. 3. n. 7 allegans alium huius rei testem Francisc. Balduinum in Iustiniانو.

QVÆRITVÆ II. Si Minor, vel Ecclesia in contractu v. g. emptionis aut venditionis læsa est, non quia absolute loquendo non expediebat contractum institui, sed tantum in pretij quantitate, vtrum contractus rescindi debeat, an verò pretij iustitia compleri? Prior pars quæstionis videtur colligi ex isto c. Sed contrarium cum Gl. & Bartolo in l. si quidem, C. de prædijs Minorum, docent Abb. in c. constitutus, in fine, Mol. & Less. ll. cc. Sfortia de restit. in integrum, p. 2. q. 57. a. 4. Emptorem, v. g. qui iusto minus pretium soluit, cogendum non esse, vt rem emptam restituat; si malitè pretium vsque ad æqualitatem iusti addere. Quia satisfit, si Ecclesia vel Minor restituitur, quatenus læsus est. Ponimus autem, tantum esse læsum circa pretij quantitatem, quia minorem iusto accepit: Ergo satis restituitur, si pretij defectus suppleatur. Accedit, quòd, si facili de causa contractus cum Ecclesijs, vel Minoribus instituti petitus rescindendi sint, id in ipsorum etiam detrimentum redundabit, quia nemini persuadetur, vt cum ipsis contrahere velit, sicuti annotauit IC. cit. l. Quòd si minor, §. Non semper.

Ad textum huius c. Abb. in cit. c. constitutus, ait, duobus modis intelligi posse; Vel quòd Ecclesia læsa etiam fuerit circa ipsam alienationem; quia existimauerat, eam sibi expedire; cum postea contrarium appareret: Vel quòd emptor noluerit pretium iustum supplere, ideòque contractum rescindendum fuisse.

CAPIT.

Cùm venissent.

PARAPHRASIS.

Monachi Rothonenses Abbatem elegerunt, opponente se Episcopo Venetensi, quia sibi ius competat Prælatos constituendi in Monasterijs diocesis suæ. Ad hanc controuersiam Iudices à Sede Apostolica communi partium consensu impetrati sunt; quorum duo cùm ad Monasterium accederet, electus, qui & intrusus dicebatur, id præsentens iuri suo renuntiauit. Sed Iudices præceperunt Monachis, vt Syndicum, seu procuratorem, ad causam illam constituent, & deinceps Abbatem eligere non audeant, donec cognoscatur de iure, quod Episcopus sibi vendicabat. Monachi procuratorem quidem constituerunt, sed electionem nihilominus peragere ausi sunt; quam proinde Episcopus petijt infirmari, & se in possessionem restitui, quæ spoliatus fuit. Iudices porro per sententiam definitiuam electionem illam cassarunt; eamque sententiam Procurator Episcopi à Sede Apostolicâ cõfirmari voluit. Verùm ad hæc ex parte Monachorum responsum fuit, quod Procurator ipsorum coram Iudicibus proposuerit, Monasterium ad Sedem Apostolicam pertinere, sed Iudices eo nihil obstarite, vt supra dictum est, animosè nimis processerunt. Hæc cùm ex parte vtraq; proposita essent, Innoc. III. inspectis priuilegijs exemptionis, quæ à varijs Pontificibus Monasterio concessa erant, & Procurator in mediũ producere neglexerat (protestatus tamen de iure non tam suo, quàm ipsius Sedis Pontificiæ) ne negligentia eius in damnum Monasterij, imò ipsius etiam Apostolicæ Sedis redundaret, aduersus sententiam dictorum iudicũ restitutionem concessit. Electionem autem, quæ, vt dicebatur, cõfirmata fuit, neque confirmandam,

neque infirmandam esse iudicauit, donec controuersia, ex qua dependet, dirimatur.

SUMMARIUM.

1. Episcopus per consuetudinem præscriptam obtinere potest ius eligendi Prælatos, etiam regulares in diocesi sua.
2. Restituitur ecclesia, si læsa est propter negligentiam procuratoris, quia iura ecclesia non produxit.
3. Ius exemptionis pertinet ad ecclesiam exemptam v.g. Monasterium & ipsam etiam Sedem Romanam. vnde Monasterium ei renuntiare non potest, nec amittere priuilegium per viam præscriptionis, nisi tempore centum annorum.
4. Si pendente lite de iure electionis, ea interim instituta sit, ante litis decisionem nec confirmari, nec infirmari debet.

NOTANDVM I. Episcopus per consuetudinem præscriptam obtinere potest ius eligendi Prælatos, etiam regulares, in diocesi sua. Ita colligitur ex hoc c. & notauit hic Ioann Andr. n. 3. Abb. not. 2. Nam Episcopus ius eligendi Abbatem sibi vendicans, intentionem suam in eo fundabat, quod Monasterium in diocesi sua situm erat.

NOTANDVM II. Si Ecclesia in iudicio læsa est, contra se reportans Iudicis sententiam, eò quod Procurator probationes producere neglexit, restitutionem integram petere potest: id verò certum est, si procurator ipse damnum illatum resarcire non possit, vt in casu huius c. Sed si contra Procuratorem agi possit, tum neque Minorem facillè audiendum esse, IC. respondit in l. cùm mandatu, 23. vers. si autem, ff. de minorib. & tradit ibi Bartolus, & Gl. marginalis. Quamuis Gl. hic, yer. restitutum Anton. & alij apud Abb. hic n. 18. arbitrentur in optione Minoris, vel Ecclesiæ esse, argere contra Procuratorem negligentem, aut petere restitutionem in integrum, argum. l. etiam, 3. C. Si tutor, vel curator interuenerit. Sed respondet Bartol. eam legem loqui de curatore seu administratore necessa-

rio:

rio: quamobrem idem rectè tradit Gl. in c. ex præsentium, 3. ver. necessitate, de pignoribus; Si Prælati, aut Ecclesiæ Rector in iudicio agendo, aut extra iudicium contrahendo Ecclesiam damnificauit, in optione eius esse agere contra Prælatum, vel petere restitutionem in integrum. Hic autem de Procuratore agimus, qui voluntariè assumitur, seu eligitur.

NOTANDVM III. Ius exemptionis, seu immediatæ subiectionis erga Sedem Apostolicam, censetur pertinere non tantum ad ecclesiam exemptam, v. g. Monasterium, sed etiam ad ipsam Sedem Romanam. Ex quo inferes primò. Monasterium huic priuilegio exemptionis renuntiare non posse; quia cederet id in præiudicium Sedis Romanæ, c. cum tempore, 5. de in integr. restit. Secundo: Ad amittendum hoc priuilegium per viam præscriptionis opus esse eo tempore, quod requiri solet ad præscribendum contra Ecclesiam Romanam, videl. centum annis, vti dixi lib. 1. tr. 1. c. 8. n. 13. §. Tertio.

NOTANDVM IV. Si pendente lite de iure electionis, ea interim instituta sit, confirmari non debet, antequam lis decidatur, sed neque infirmari eam conuenit; cum eius vis suspensa sit, ac dependens à futuro euentu litis. Vide quæ hic docet Innocent. n. 2. & seqq. Abb. n. 22. Imola n. 20. vbi docent, quomodo possessio iuris eligendi, & similitium incorporalium iurium acquiratur, vel amittatur.

CAPITVLVM III.

Auditis.

PARAPHRASIS.

Controuersia erat inter Episcopum Vigoricensem, & Abbatem de Euescam, super quibusdam Ecclesijs, quas Episcopus contendeat sibi lege diocesana subiectas esse; Sed Abbas dicebat ab Episcopali iurisdictione omnino exemptas esse. Visis autè actis & probationibus, quæ ex parte vtraque coram iudicibus delegatis exhibitæ erant, respondit Innocentius I. satis cognouisse se, Ecclesias illas per priuilegia Põtificum ex-

emptas non esse ab Episcopi iurisdictione. Verum ex testium testimonijs satis colligi, quod Abbates Ecclesias illas tanto temporis decursu possederint pleno iure, vt appareat eos Episcopalem ibi iurisdictionem contra diocesanos præscripsisse: nisi fortè Ecclesia Vigoriensis tanto tempore vacarit, vt subducto eo vacationis tempore, præscriptio completa non sit. Tametsi verò in hac controuersia vtrinque conclusum sit; quia tamen vtraque pars asserit se probationem necessariam omisisse; idè Innocent. considerans, quod vtraque Ecclesia pari iure Minoris fungatur, seu pariter priuilegiata sit, vtramque restituit ad probationem, quam omisit, asserendam; ne vel vna, vel altera pars grauè iacturam iuris sui patiatur.

SVMMARIVM.

1. Ecclesia secularis, aut regularis intra diocesin existens ab Episcopi iurisdictione eximi potest duobus modis: priuilegio Papæ, & præscriptione longissimi temporis.
2. Prælati pleno iure exempti ab Episcopo quasi episcopalem iurisdictionem habent.
3. Præscriptio contra Ecclesiam inchoata, vacante prælatura, suspensa est.
4. Terminus probationum peremptorius, seu cum exclusionem datus, ligat etiam ecclesiam; conceditur tamen beneficium restitutionis, si necessaria probatio omissa fuit. Idem est de Minoribus.
5. Ad restitutionem autem beneficium requiritur, vt Ecclesia propter probationes non productas versetur in damno pecuniario, aut lucri amissione.
6. Ecclesia laesa restituenda est etiam contra aliam ecclesiam, vti & Minor laesa contra aliam Minorem.

NOTANDVM I. Duo sunt modi, quibus Ecclesia secularis, aut regularis, intra diocesin existens, ab Episcopi diocesani iurisdictione eximi, & sub immediata Sedis Apostolicæ obedientia constitui potest. Primus est, per priuilegium Papæ. Secundus,

cundus, per temporis longissimi præscriptionem, videl. 40. annis cum titulo; at verò immemoriali tempore, si titulus absit, argum. c. 1. de præscript. in 6.

2 NOTANDUM II. Prælati, qui pleno seu, vt alij dicunt, plenissimo iure, id est, omnimodè ab Episcopo diocesano, ratione Ecclesiarum suarum, exempti sunt, quasi Episcopalem iurisdictionem obtinere censentur. Hac de re dixi in qq. de elect. q. 206.

3 NOTANDUM III. Præscriptio seu vfuçapio contra Ecclesiam inchoata, vacante Prælatura, suspensa manet ac veluti dormit, ita vt tempus vacationis auferri, seu non computari debeat. Ita etiam habetur in c. de quarta, 4. de præscript. Ratio est: Quia Ecclesia tunc defensore caret, c. 1. & vlt. Ne Sede vacante &c. Quandoquidem Capitulum pro iuribus Episcopalibus Sede vacante in iudicio contendere non potest, cit. c. vlt. iun. Gl. ver. vacante. Vide quæ dixi lib. 3. Th. mor. tr. 4. c. 11.

4 NOTANDUM IV. Terminus probationum peremptorius, seu cum exclusione datus, astringit etiam Ecclesiam. Sed conceditur beneficium restitutionis in integrum, si necessaria probatio omissa fuit. Ita habetur etiam in Clem. vn. hoc tit. Exemplum est: Procurator alicuius Ecclesiæ à iudice impetrauit duorum mensium spatium, intra quod testes, aliàsque probationes afferre possit. Finito illo tempore, non admittetur Ecclesia ad probandum, nisi restitutionem in integrum impetret, si probationem necessariam Procurator producere intermiserit. Sed & idem dicitur de natu Minoribus, ob allegationem obtinendæ causæ necessariam in iudicio omisam, restituendos esse. l. Minor, 36. ff. de Minoribus.

5 Requiritur tamen ad huiusmodi restitutionem, vt Ecclesia propter probationes non productas versetur in damno pecuniario, aut lucri amissione: Alioquin non restituetur; v. g. quòd crimina non probauerit contra litigantem super beneficio, sicut docet Durand. lib. 2. speculi, p. 3. tit. de restit. in integrum, §. 2. n. 7. vers. Sed pone, argum. l. auxilium, 37. ff. de Minoribus.

NOTANDUM V. Ecclesia læsa restituenda, etiam est contra alium: quemadmodum & Minor læsus contra Minorem restituitur, l. verum, 11. §. Item quæritur, ff. de Minoribus.

Obijcies: Si duorum paria priuilegia concurrunt, cassato vtroque, seruari debet ius commune, vt docent DD. nominatim Abb. in c. præsentia, n. 37. de probat. ex l. assiduis, C. Qui potiores in pignore. Respond. cum Bartolo in Auth. Quas actiones, n. 3. C. de SS. Ecclesijs, Abbate loco cit. Id verum esse, si duo pariter respectu eiusdem causæ priuilegiati sint: Secus si in genere tantum priuilegiati, sed respectu causæ non par sit vtiusque conditio, & fauor: Ita enim accidit in restitutionibus in integrum, per quas illi parti potius subueniendum est, quæ in damno, seu amissione iuris sui versatur. Sin autem nesciatur, vtri parti, pariter alioquin priuilegiatæ, reuerà ius competat, de quo non amittendo contendit, tunc vtique, si læsa videatur, interim restituitur, donec veritas in iudicio appareat, vt in casu huius c. Vide quæ dixi cit. tr. 4. c. 11. n. 2. §. Ex multorum.

CAPITVLVM IV.

Ex literis.

PARAPHRASIS.

Inter duos coniuges causa matrimonialis agitabatur, quam Pontifex Innocent. III. quibusdam Iudicibus delegat; qui cum diuortij sententiam protulissent, mulier ad Sedem Apostolicam appellauit: Eam appellationis causam Papa Abbati, & Archipresbytero Paduano commisit. Abbas (eui alter vices suas commiserat) quia videbat mulierem ad terminum peremptorium non comparuisse, inspectis actis priorum Iudicum, eorundem sententiam confirmauit. Cum hoc intellexisset pater mulieris, accessit ad Abbatem, & iuramento confirmauit, quendam fraudulenter venisse ad ipsos, falsas literas afferens, quibus continebatur, vt diebus octo post terminum constitutum Abbatis (cui impedi-

pedimentū necessarium incidisse narrabatur, cur ad diem antea definitam adesse nō posset) conspectui se sisterent: Cū verò Abbas ipsis fidem super hac re habere nollet, dicta mulier ad Sedem Apostolicam appellauit, & supplicauit. Hac re intellecta, respondet Innocentius: Tametsi fraus, quæ allegatur, plene probata non sit, tamen secundum canonicam æquitatem, se supplicationem mulieris admittere, eique pro matrimonio postulanti beneficium restitutionis ad nouam causæ audientiam concedere. Ideoque alijs Iudicibus mandat, vt de causa appellationis cognoscentes, primorum Iudicum sententiam confirmet, vel infirmet, prout ipsis iustum esse visum fuerint.

SUMMARIUM.

1. Sententia in causa matrimoniali non transit quidem in rem iudicatam, quoad veritatem; transit tamen quoad instantiam iudicij.
2. Cause matrimoniales non tantum Episcopis, sed etiam alijs in dignitate constitutis delegantur.
3. Dubitans, an capax sit remediij ordinarij appellationis, potest adiungere supplicationem extraordinarij, videlicet restitutionis in integrum.
4. Qui appellat, iustitiam sibi administrari postulat contra errorem iudicis, vel iniquitatem.
5. Supplicatio strictè accepta ad inferiorem iudicem dirigere non potest; potest autem late accepta, qua suspendit etiam sententia executionem.
6. Etiam Maiores natu quandoque restituuntur, si grauer lesi sint, ad hanc autem restitutionem opus est, vt præter lesionem alia iusta causa restitutionis v. g. absentia, detentionis, ignorantia probabilis ostendatur.
7. In causa fauorabili, vti est matrimonialis, causa semiplene probata, potest interdum Iudex, præsertim supremus, per restitutionem in integrum inibere, vt causa demo cognoscatur.

NOTANDVM I. Licet sententia in causa matrimoniali non transeat in rem iudicatam, quoad veritatem, transit tamen quoad instantiam iudicij, ita vt nouo processu opus sit, nisi restitutio in integrum petatur. Ita Ioan Andr. hic in Gl. penult. Alex. de Neuo in c. lator, 7. n. 12. de sent. & re iudic.

NOTANDVM II. Causæ matrimoniales non tantum Episcopis, sed etiam alijs in dignitate constitutis personis à Sede Apostolica delegantur. Addit verò Abb. n. 2. Quod nec Episcopus prohibetur causam matrimonialem alteri idoneo delegare.

NOTANDVM III. Dubitans num ordinarij appellationis remediū sibi competat, potest in eius defectum, adeoque sub conditione, si prioris remediij capax non sit, adiungere extraordinarij remediij, videlicet restitutionis in integrum, supplicationem. Ita Imola hic, n. 5. Abb. n. 3. Pro cuius intellectu

Aduerte primò, Quod qui à sententia Iudicis appellat, is iustitiam postulat contra Iudicis errorem, aut iniquitatem sibi administrari. Quare si Iudex videatur rectè sententiam tulisse (vt in casu proposito, quando Iudex sententiam tulit parte absente, quæ post lapsum termini peremptorij contumax apparebat) tum non recipietur appellatio, Sulcipi tamen poterit supplicatio, in ordine ad restitutionem in integrum; quia ea plerumque non supponit Iudicis aliquam iniquitatem; sed aliam causam, v. g. absentiam, probabilem ignorantiam, tertie personæ fraudem, ob quam læso succurri debeat.

Porro tametsi restitutio in integrum ob lesionem maioribus natu non concedatur, si ordinarij appellationis remediū intentari possit, attamen Minori, sicuti & Ecclesiæ, concedenda est restitutio, tametsi appellare possit; propterea quod remediū restitutionis facilius minusque odiosum sit, quam appellationis remediū (cū in ea error seu iniustitia Iudicis inferioris coram Superiore ostendenda sit) sicuti Abb. notauit in c. seq. n. 18. Sin autem Minor, aut Ecclesia ipso iure tuta sit, vt quia sententia irrita est, tum ei extraordinarij remediū restitu-

tionis non conceditur; cum per ordinariam viam nullitatis agere possit, l. in causæ, 16. ff. de Minoribus.

5 Aduerte secundò; Quòd supplicatio in ordine ad Iudicem tribus modis accipiatur: Primò latissimè, pro quibuscunque precibus Iudici porrectis, siue ad iustitiam, siue ad gratiam impetrandam. Secundò latè, pro petitione restitutionis in integrum contra latam sententiam: Et hæc supplicatio præter læsionem, causam præterdit, siue ea sit imbecillitas ætatis, siue fauor publicus Ecclesiæ, siue alia causa in iure probabilis, ob quã Iudex ex officio succurrere debeat, ideòq; restitutio in integrum partim de iustitia, partim de gratia participat. Tertio strictè accipitur supplicatio, per quam, allegata læsione, petitur, vt sententia rescindatur ex sola gratia & benignitate Principis, eò quòd appellationis remedium nullum haberi possit, ideòque æquum videatur, vt succurratur extraordinariè. Et talis supplicatio ad inferiorem Iudicem dirigi non potest; cum nemo præter Principem, sententiam Iudicis, extra casus iure concessos, retrahere & plerumque ius parti quæsitum, tollere possit. Videri potest Innocent. hic n. 3. Gl. ver. supplicauit, Abb. n. 10. Beroius, n. 20. Abb. c. seq. n. 17. Sfort. de rest. in integr. p. 1. q. 1. a. 7.

Inter has duas posteriores supplicationes, duplex discrimen occurrit. I. Supplicatio latè accepta non solum erga Principem, sed etiam erga Iudicem inferiorem fieri potest; cum sit imploratio Iudicis officij, quòd secundum iura impartiri debet petenti, supposita causæ cognitione. Et ita quidem, vt vel ipse, qui sententiam tulit, contra eam restitutionem in integrum causã cognitã dare possit; Vel Superior eius, aut quasi Superior, v. g. Episcopus contra Vicarij sui generalis sententiã. Sed vice versa, Vicarius restitutionem dare non potest contra sententiã Episcopi, vt docet Abb. in c. seq. n. 3. Quia inferior nõ restituit contra sententiã Superioris, l. Minor, 18. ff. de Minoribus.

Secundum Discrimen. Supplicatio latè accepta magis conuenit cum appellatione;

quia & illa suspendit sententiã executionem; Non item supplicatio strictè sumpta; sed cautio dari debet de restitutione facienda, si supplicans causam obtinet, iuxta Auth. Quæ supplicatio, C. de precibus Imperatori offerendis, & docet Abb. in c. suscitata, n. 10. hoc tit. discriminis huius rationem afferens; quia vt supra dictum fuit, supplicatio latè sumpta iustitiæ aliquo modo innititur; at verò strictè sumpta soli gratiæ. Vtriusq; tamen supplicationis admissio extendit, vt causæ audientia de nouo concedatur, vt appareat, num sententia prius lata rescindenda; an verò confirmanda sit, vt dicitur in fine huius c.

Loquimur verò in casibus, quibus sententia ipso iure consistit. Sin verò condemnatus eam nullitatis arguere velit, quia v. g. ordo iudiciarius seruatus non est, l. probatam, 4. C. de sententijs, tum actionem contra Iudicem instituere poterit, nec opus erit extraordinario supplicationis remedio; quippe quod, sicuti & appellatio, ad rescissionem sententiæ, post causam cognitã tendit.

NOTANDVM IV. Etiam maioribus natu, si grauius læsi sint, quandoq; per restitutionem in integrum succurratur, vt videre est tit. ff. Ex quibus causis maiores & c. Sed discrimen inter restitutionem, quæ conceditur Minori, & Ecclesiæ, eamque, quæ conceditur maiori; quòd ad eam iufficiat ostendere læsionem grauem, ad hanc præter læsionem, necesse est aliam iustam causam demonstrasse, v. g. absentia, detentionis, probabilis ignorantia, ob quam læsus per Iudicis officium restituendus videatur, vt docui lib. 3. Th. mor. tr. 4. c. 11. n. 6.

NOTANDVM V. In causã fauorabili, cuiusmodi vel maximè est matrimonialis, si causã maiorem natu restituendi semiplenè probata sit, v. g. per vnum testem, aut iuramentum, potest quandoq; Iudex, præsertim supremus, per restitutionem in integrum iubere, vt causã denuo cognoscatur. Idque secundum canonicam benignitatem; cum secundum canones non ad rigorem & subtilitatem iuris; sed magis ad id, quod æquum & rationale est, attendi debeat, c. 1. de do-
lo &

lo & contumacia, c. in causis, 19. de sentent. & re iudic.

CAPITVLVM V.

Tum ex literis.

PARAPHRASIS.

Controverſia erat ſuper quibuſdam parochijs inter Eccleſiam Oſceniſem, & Ilerdenſem, coram Eugenio III. Papa: Is ſententiam tulit pro eccleſia Oſceniſi. Sed cum pars aduerſa ſe per eam ſententiam enormiter leſam eſſe conquereretur, Anaſtaſius IV. Cæleſtino tum in Hiſpanijs legationis officio fungenti cauſam comiſit: Is cepit eam cognoſcere, ſed non terminauit. Interim moritur Anaſtaſius, cui Alexander III. ſuccedit. Alexandro verò dictus Cæleſtino III. qui eandem cauſam Cardinali Diacono delegauit, eo tenore, vt inſpectis Ilerdenſis Eccleſiæ priuilegijs, & audijs rationibus, priore Eugenij ſententia nihil obſtante, ſententiam definitiuam proferret, & executioni mandari curaret. Verùm licet cauſa cepta, & teſtes aliqui producti fuerint, tamè mandatum Sedis Apoſtolice adimpletum non fuit. Quamobrem Antonius Ilerdenſis Canonicus poſtulauit ab Innoc. III. qui Cæleſtino ſucceſſerat, vt ex officio ſuo Ilerdenſem Eccleſiam contra Eugenij ſententiã reſtitueret. Papa itaque cum Cardinalibus ſuis, alijsq; uiris peritis conſiderans, quòd Cæleſtino reſtitutionis beneficiũ iudicari eſſe concedendum, dum cauſam illam Cardinali commiſit, facile inde collegit, ſe quoque ſupplicationem illam admittere debere: præſertim cum & Romani Pontificis ſententia poſſit in melius commutari, ſi uel falſitas, aut veri diſſimulatio obreperit, uel temporis neceſſitas ad quiddam ſtatuendum compulerit. Imò ſecundùm ciuilia iura, Princeps etiam bis iudicatas cauſas examinari permiferit, nùm ijs reſciſſis reſtitutio in integrum danda; Sed & regiſtrum Eugenij Papæ luſtrando perſpexiſſe ſeſe Innoc. ait

quòd ſententia illa primo ſui Pontificatus menſe promulgata fuerit, cum de meritis cauſæ non ſatis poterat eſſe inſtruetus. Nitebatur enim is ad ferendam ſententiam contra Ilerdenſem eccleſiam, ea potiffimum ratione, quòd priuilegium Urbani II. eidem Eccleſiæ conceſſum falſitatis argueretur; cum tamen poſtea in Regiſtro eiufdem Urbani repertum fuerit incorruptum. Propter hæc in eam ſententiam tandem it Pontifex, vt in præſentia partium (quippe quarum aſſertione merita cauſarum aperiuntur) cognoſcatur, utrũ reſtitutio in integrum data iam ſit, aut deinceps danda, necne: Itaque mandat Epifcopo, & Capitulo Oſceniſi, vt ad feſtum B. Lucæ perſonaliter, uel per idoneũ procuratorem Romæ ſe ſistant, oſtenſuri, ſi poſſint, quòd ſententia Eugenij retractanda non ſit; aut ſi iudicatum fuerit, retractandam eſſe, ad principale negotium pertractandum ſint ſufficienter inſtrueti; hoc ſcientes, cum propter locorum diſtantiã ſite magnis ſumptibus ac laboribus ſæpius ad eos recurſus haberi nequeat, ſi ad dictum terminum, qui ut peremptorius aſſignatur, mandatis non paruerint; nihilominus in negotio ipſo Papam proceſſurum eſſe, quantum de iure poterit.

SUMMARIUM.

1. Licet à ſententia Papæ alteriusue Principis appellari nequeat, poteſt tamen eidem ſupplicari.
2. Tertio appellans contra ſententiam aduerſus ſe latam & confirmatam, audiendus non eſt, ſupplicare tamen poteſt, ut cauſa bis iudicata denuo cognoſcatur, & deprehendo errore reſcindatur.
3. Si ob temporis anguſtias Iudex non potuit inſtrui de meritis cauſæ, ſententia ipſo iure nulla eſt.
4. In dubio de priuilegijs tenore, recurrendum eſt ad originale, quod eſſe ſolet in Principis regiſtro. In dubio autem de actis iudicij ad Notarij protocolium.

Llll 3 s.Re.

5. *Restitutio in integrum contra sententiam iudicis non agitur, nisi partibus presentibus, & cum litis contestatione.*
6. *Citatio peremptoria æquualet citationi trine ad conuincendam contumaciam citati, si ad terminum præfixum non compareat.*

NOTANDVM I. Licet à sententia Papæ, alteriusue Principis appellari nequeat, potest tamen eidem supplicari, siue id fiat, vt ex officio propter causam iustam succurratur per in integrum restitutionem, siue id fiat, solam gratiam & benignitatem Principis postulando; eò quòd appellationis auxilio locus nullus esse possit, iuxta ea, quæ præc. c. dicta sunt, & sumitur ex Auth. Quæ supplicatio, C. de precib. Imperat. offerendis, & l. vn. C. de sententijs Prætorio Præfeti, & tradit Gl. in c. præc. ver. supplicauit, Imola ibid. n. 11. Beronius n. 15.

NOTANDVM II. Licet tertio appellans contra sententiam aduersus ipsum latam & confirmatam audiendus non sit, l. vn. Cod. Ne liceat in vna, & c. c. sua 65. de appellat. admittitur tamen supplicatio, vt causa bis iudicata denuo cognoscatur, & si error eommissus appareat, sententia, quamuis confirmata, rescindatur.

NOTANDVM III. Si iudex tempus sufficiens non habuit ad acta cognoscenda, præsumptio aliqua est, quòd non satis instructus de meritis causæ eam tulerit: vt proinde facilius dari debeat restitutio in integrum. Sin autem tam parum temporis habuit Iudex, vt impossibile sit eum de causæ meritis instrui, sententia ipsius ipso iure irrita est, quia processit absque causæ cognitione, sicuti docet Bartolus in l. prolatam, n. 10. C. de sententijs, & videri hic potest Abb. n. 6. Et adeò hæc vera sunt, vt etiam mandatum Papæ circa factum, quòd causæ cognitionem requirit, ea prætermissa non habeat vim sententiæ, nisi constet de certa scientia illius, secundum Innoc. hic n. 1. Abb. n. 8.

NOTANDVM IV. Si dubitetur de priuilegij tenore, recurrendum est ad originale, quòd in Principis registro reponi solet.

Est enim registrum scrinij locus, in quo Epistolæ, & rescripta cuiusque Pontificis referuantur. Pari modo, cum de actis iudicij dubitatur, ex Notarij protocollo cognosci debent, c. quoniam, l. 1. de probat.

NOTANDVM V. Si restitutio in integrum contra Iudicis sententiam petatur, ante omnia præsentibus partibus, & quidem lite inter eas contestata, cognosci debet, num concedenda sit, necne; Et si concedendam Iudex iudicauerit, tum ad nouam causæ principalis audientiam, si ea petatur, partes admitti poterunt. Ita sumitur ex hoc c. prope finem, & videri potest Innoc. n. 2. Abb. n. 15. Quemadmodum & appellatio, cui hæc restitutio quodammodo æquiparatur, ordinariè non agitur, nisi partibus præsentibus, & cum litis contestatione, vt supponitur in l. vn. C. Ne liceat in vna, & c.

NOTANDVM VI. Vna citatio peremptoria, si habeat terminum competentem, præfertim si, vt fieri solet, in ea temporum assignentur interualla, æquualet citationi trine, ad conuincendam contumaciam citati, si ad terminum præfixum non compareat, iuxta c. 1. iun. Gl. ver. peremptorium, de dilatione. Gl. in c. constitutionem, 9. ver. vna pro omnibus, de sent. excom. in 6.

CAPITVLVM VI,

Suscitata.

PARAPHRASIS.

Inter Episcopum Burgensem, & Monasterium Ouienſe controuersia erat super quatuor articulis, & quibusdam decimis, quæ Monasterio per transactionem acquisitæ dicebantur: Ea denique ad Sedem Apostolicam delata est; vbi Innoc. III. contra Monasterium sententiam tulit. Sed Procurator Monasterij ad probandam præscriptionem tam super quatuor articulis, quàm super decimis, restitutionem in integrum petijt. Eam Papa concedendam esse iudicauit; hac conditione, vt lata sententia prius executioni man-

mandetur; Episcopus autem cautionem idoneam præstet, si Monasterio causa ad iudicata fuerit, quod omnia, quæ occasione sententiæ obtinuit, restituere velit. Ita enim utriusque parti, ad auertendas malitias hominum, prouisum erit; ut nec effectus sententiæ in damnum Episcopi impediatur, nec executio sententiæ in Monasterij detrimentum redundet.

SUMMARIUM.

1. *Contra sententiam latam à Principe peti potest restitutio in integrum.*
2. *Et iusta causa est eam impetrandi, si procurator ecclesie exceptionem peremptoriam in iudicio proponere omisit.*
3. *Iudex uti dilatorias exceptiones non facile debet admittere, ita nec peremptorias facile rejicere.*
4. *Concessio restitutionis in integrum contra sententiam iudicis suspendit ordinariè executionem sententiæ, nisi sit præsumptio malitiæ contra petentem restitutionem, quod causa differendi executionem hoc petat; quo casu executio fit, præstita cautione.*
5. *Si tamen petens restitutionem, læsionem & causam iustam restitutionis probare velit, interdum tollet malitiæ suspicionem.*

NOTANDUM I. Contra sententiam latam à Principe, peti potest restitutio in integrum. Ita apparet hic, & dixi supra in c. ex literis.

NOTANDUM II. Causa iusta impetrandi restitutionem in integrum contra latam sententiam hæc est, si Procurator Ecclesiæ exceptionem peremptoriam (quod videl. ea per præscriptionem tuta sit) in iudicio proponere intermisit.

NOTANDUM III. Licet Iudex non facile admittere debeat exceptiones dilatorias, si sit præsumptio, aut suspicio, quod malitiosè opponantur; tamen peremptorias, qualis est hæc, quod contra actionem præscriptam sit, non debet Iudex facile rejicere, secundum Innoc. in c. post electionem, §. sed

quæres, de concess. præb. & sequitur hic Abb. n. 3. Vide quæ dixi lib. 3. tr. 1. c. 8. n. 1.

NOTANDUM IV. Licet concessa restitutione in integrum, executio latæ sententiæ ordinariè loquendo, differri debeat, l. vn. C. de restitut. in integrum; limitari tamen debet; Nisi præsumptio adsit, quod malitiosè restitutio petatur ad executionem impediendam, tum ea secundum æquitatis rationem statim fieri debet, præstita cautione, de qua in textu dicitur, & videri hic potest Gl. ver. pensata, Innoc. ver. impediri, Imola n. 12.

Sublimitari debet: Nisi executio sententiæ reuocabilis non sit; ut quia condemnatus cum infamia relegendus, aut in carcerem detrudendus esset, secundum doctrinam Baldi in cit. l. vn.

Præterea, si petens restitutionem in integrum, læsionem & causam iustam restitutionis in continenti probare velit, interdum tollet malitiæ suspicionem, ideòque audiendus erit. Vide Gl. hic ver. sententiæ, Abb. n. 8.

CAPITVLVM VII.

Coram.

PARAPHRASIS.

Inter Archiepisc. Toleranum, & Archiepiscopum Bracharensem coram Innocent. III. lis contestata erat super iure primatiæ: Papa eam quibusdam Iudicibus commisit, qui partes ad sententiam accipiendam remiserunt ad Sedem Apostolicam termino peremptorio assignato, intra quem se cum actis, & omnibus munimentis Apostolico conspectui præsentare deberent. Sed non nisi post elapsum terminum, & longam expectationem comparuerunt coram Honorio III. successore Innocentij Procuratores Ecclesiæ Bracharensis, necdum afferentes testium depositiones, & munimenta; ideòque aliam dilationem instanter postulantes. Cum autem Pontifex interloquendo dixisset, dilationem negandam esse, tunc Procuratores restitutionem in integrum ad causam in-

ſæ instructionem exhibendam Bracharenſi Eccleſiæ petierunt, exhibentes ſuper hoc mandatum ſpeciale. Id verò Pontifex uſque ad octauam Pentecoſtes concedendum eſſe iudicauit.

SVMMARIVM.

1. *Termini iudiciales etiam Eccleſias & Minores ligant, ita vt neque hi, neque illa poſt peremptorium audiantur, conceditur tamen illis reſtitutio in integrum.*
2. *Procurator hic Monafterij ad petendam reſtitutionem, videtur indiguiſſe mandato ſpeciali.*

NOTANDVM I. Termini, ſeu præſcriptiones iudiciales conſtringunt etiam Eccleſias, ac Minores, vt poſt elapſum tempus audiendi non ſint. Sed conceditur eis reſtitutio in integrum. Ita etiam ſumitur ex l. 1. C. ſi ſæpius reſtitutio, &c. & c. vlt. hoc tit. quibus locis habetur, quòd Minor, vel Eccleſia ſi intra decendium contra ſententiam non appellauit, per in integrum reſtitutionem adiuuanda ſit.

Neque his obſtat l. vlt. C. In quibus cauſis in integrum reſtitutio, vbi dicitur; Quòd præſcriptiones temporales (excepta xxx. vel xl. annorum) ipſo iure non currant contra Minores. Nam l. illa non loquitur de præſcriptionibus ſeu terminis iudicialibus, in quibus id ſpeciale cenſeri debet, quòd currant contra omnes, ſicuti notaui Bartol. in l. 1. C. ſi ſæpius in integrum, &c. Hoſtienſis & Abb. c. vlt. n. 1. hoc tit.

NOTANDVM II. Si quis ad certum terminum in cauſa inſtructus comparere debuit, procuratori nouæ induciæ ordinariæ non conceduntur. De hoc dixi ſuprà in c. dilectus, 11. de procurator.

2. Diſputat hic Gl. ver. mandatum, vtrum Procurator Monafterij ad petendam reſtitutionem in integrum indiguerit mandato ſpeciali. Videtur affirmandum ex hoc textu, & l. illud, 25. §. Si talis, ff. de Minoribus. Sed contra eſt, quòd tradit Gl. communiter

recepta in c. præced. ver. poſtulauit; Quòd Procurator (intellige ſimplicem, vt excludamus tutores, & ſimiles adminiſtratores, qui à iure poteſtatem habent) non audiat ſine mandato ſpeciali, ſi reſtitutionem petat principaliter, ſectis, ſi incidenter. In caſu autem huius c. incidenter petebatur reſtitutio ſuper termino peremptorio: Ergo ſufficiebat Procuratori mandatum generale ad cauſam proſequendam. Duobus modis reſponderi poteſt cum Hoſtienſi apud Ioan. Andream hic n. 5. & c. præced. n. 6. Primò; Narrari hic factum, quòd Procurator ad hanc cauſam habuerit mandatum ſpeciale, ſaltem generaliter ipſi datum, vt petitionem in integrum petere poſſet. Secundò; Quòd forte interlocutoria illa ſententia elapſo decennio tranſierit in rem iudicatam, c. cum dilectus, 2. in fine, de elect. Nam ex eo tempore procurator etiam cõtra interlocutoriam, ſicuti contra definitiuam ſententiam non admittitur ad petendam reſtitutionem abſque mandato ſpeciali. Rationem dat Gl. in c. præced. ver. poſtulauit: Quia reſtitutio in integrum contra ſententiam dari plerumque ſolet loco appellationis: quemadmodum itaque intra decendium poſt latam ſententiam definitiuam, aut interlocutoriam appellare debet Procurator, c. penult. de Procurat. ita & reſtitutionem in integrum petere: Cum enim hoc cauſæ connexum ſit, vnà cum cauſa committi cenſetur. Videri etiam poteſt Abb. in cit. c. præced. n. 5.

CAPITVLVM VIII.

Conſtitutus.

PARAPHRASIS.

Quidam coniuges Guilielmus & Anna quædam poſſeſſiones habebant communes (videl. ipſis communiter donatas, aut ex communi pecunia emptas) mortuà Annà, Guilielmus poſſeſſiones illas vendere volens emancipauit duos ex eadem Annamatos Guilielmum & Ignatium, vt venditioni conſenſum præbere poſſent. Poſt factam

nam venditionem, fratres illi supplicarunt Gregorio IX. Pontifici, ut vel contractum illum irritum declararet; vel (cum adhuc existant intra tempus ad pendendam restitutionem in integrum iure indultam) tum quoad partem ex materna hereditate ad se pertinentem; tum quoad alteram partem, quam iuxta municipalem consuetudinem tanquam proximi consanguinei intra diem & annum, oblato eodem pretio retrahere potuissent, sed facere omiserunt, in integrum restituerentur; quandoquidem in utroque horum grauius laesi fuerunt. His relatis, mandat Papa, si ea vera sint, ut dicta venditio, quoad partem eam, quae dictos fratres contingit, irrita pronuntietur, si debitis iuris solemnitatibus destituta fuerat, sin autem debita solemnitas interuenierit, sed eos laesos esse constiterit, tam super sua, quam super paterna portione, Apostolica auctoritate in integrum restituantur; dummodo pretium, uti promittunt, emptori vel heredibus eius refundant.

SUMMARIUM.

1. Pater licet habeat usufructum & administrationem bonorum maternorum, quae filiis in potestate sua constitutis obuenerunt; non potest tamen ea alienare, etiam consentientibus filiis.
2. Irrita est alienatio immobilium facta à Minore sine debita solemnitate, scilicet iudicis auctoritate, & si facta est, rem alienatam Minor per viam nullitatis reperere, vel in dubio de nullitate contractus, per viam restitutionis in integrum inuari potest.
3. Statuta municipalia fauorabilia generaliter pro communitate lata etiam clericos comprehendunt.
4. Minoribus & Ecclesiis per restitutionem in integrum succurritur, siue laesi sint in damno, siue in lucro cessante.

NOTANDVM I. Licet pater habeat usufructum & administrationem bonorum maternorum, quae filijs in potestate

sua constitutis obuenerunt, l. 1. C. de bonis maternis; non potest tamen ea alienare, etiam consentientibus filijs, uti ex hoc colligitur, & habetur in cit. l. 1. & l. 2. C. eod. l. quaecunque, 4. C. de bonis quae liberis. Ob hanc itaque causam Guilielmus filios suos emancipauit, ut eorum bona, ipsismet consentum praebentibus, alienari possent. Ita Gl. hic ver. eisdem, Innoc. n. 1. & videri potest Imola n. 3.

NOTANDVM II. Si Minor sine debita solemnitate, videlicet iudicis auctoritate non interueniente, bona immobilia alienet, irrita est alienatio, l. cum emancipatis, 3. l. non solum, 4. C. de praedijs Minorum, & dixi lib. 3. tr. 4. c. 11. n. 2. Quare tali casu Minor rem alienatam reperere potest per viam nullitatis, ut restitutioni in integrum locus esse non debeat, iuxta l. in causa, 16. ff. de Minoribus; ubi dicitur, si communis actionis auxilio, seu vero iure ciuili rem alienatam Minor recuperare possit, non tribui ei extraordinarium Praetoris auxilium. Sin vero dubitet de nullitate contractus; tunc alternatiuum libellum porrigere non prohibetur (secundum doctrinam Innoc. hic, n. 2. Abb. n. 9.) videlicet ut vel contractus pronuntietur nullus; aut si vero iure valuit, in integrum restituatur. Etenim, licet possessiones Minoris aut Ecclesiae omni adhibita solemnitate, etiam cum Superioris seu iudicis decreto alienatae sint, si tamen laesio grauis interuenit, concedenda est in integrum restitutio, l. siquidem 11. C. de praedijs Minorum.

NOTANDVM III. Statuta municipalia, quae non onus, sed potius fauorem continent, si generaliter pro communitate lata sint, comprehendunt etiam clericos; cum & ipsi Reipubl. membra sint. Ita sumitur ex hoc c. & dixi de hac re in c. Ecclesia, 10. de Constit. & tradit Abb. hic, n. 3. Imola n. 6.

NOTANDVM IV. Minoribus, ac pariter Ecclesiis, per restitutionem in integrum subuenitur, non tantum si laesi sint in damno, sed etiam in lucro cessante. Ita docet lib. 3. tract. 4. c. 11. n. 2. & sumitur ex hoc textu: cum enim fratres hi in duobus laesi essent, & quoad suam praediorum portionem,

M m m m

quam

quam cum proprio detrimento vendiderant, & quoad portionem patris, quam cum lucro suo intra annum retrahere poterant, & intermiserunt; super utroque restitutionem in integrum à Papa impetrarunt.

Porro de gentilitio retractu, seu facultate possessiones venditas intra certum tempus iure proximæ confanguinitatis ad se reuocandi, oblati eodem pretio, dixi lib. 3. tr. 4. c. 17. §. 6.

CAPITVLVM IX.

Causa.

PARAPHRASIS.

Restitutio in integrum peti debet à Iudicibus ordinarijs administrationem habentibus, vel ab eorum delegatis; siue causa restitutionis ipsis specialiter delegata sit, siue ea in commissam controuerfiam incidenter veniat. At verò delegati à Iudicibus ordinarijs, qui non administrationem, sed simplicem iurisdictionem habent, sicuti & arbitri, de causa restitutionis cognoscere non possunt, nisi incidenter. Similia habentur in l. vlt. C. Vbi & apud quem.

SVMMARIVM.

1. *Iurisdictionis alia est ordinaria, alia delegata. Ordinaria vel confertur cum administratione rerum, aut iurium in territorio, & continet merum vel mixtum imperium; vel sine tali administratione, & dicitur simplex iurisdictionis.*
Habens ordinariam delegationem delegare potest, non item habens tantum delegatum, nisi sit delegatus Principis.
2. *Habens ordinariam iurisdictionem cum administratione in integrum restituere potest.*
3. *Idem possunt delegati ad vniuersitatem causarum, si cum administratione in aliquo territorio constituti sunt.*
4. *Solus Princeps aliquem restituere potest aduersus sententiam sui delegati.*

5. *Habens simplicem ordinariam iurisdictionem, de causa restitutionis in integrum cognoscere non potest.*
6. *Index delegatus non potest in integrum restituere principaliter, nisi ex speciali commissione data ab habente merum & mixtum imperium.*
7. *Habens iurisdictionem quamcumque, etiam tantum delegatam, potest incidenter causam cognitam in integrum restituere.*
8. *Arbiter non potest restituere in integrum, potest tamen incidenter questionem restitutionis huius decidere, an restitutio à iudice sit petenda, necne.*
9. *Arbiter in causa matrimoniali, vel libertatem concernente, vel criminali assumi non potest.*
10. *Causæ, quæ à maioribus iudicibus expediri debent, vt matrimoniales, criminales criminaliter intentatæ, & quæcumque Iudicis officio nobili exercentur, arbitris committi non possunt.*

Pro intellectu aduerte; Quòd iurisdictionis alia ordinaria est, & alia delegata. Iurisdictionis ordinaria duplex est: Vel enim confertur cum administratione rerum, aut iurium in territorio aliquo; & continet merum, aut mixtum imperium. Vel sine administratione mera in territorio iudicandi potestas confertur, & dicitur simplex iurisdictionis. Porro quicumque ordinaria iurisdictione præditi sunt, hi causam delegare possunt; non item qui delegatam tantum habent, nisi sint delegati Principis.

Nunc ponuntur assertiones: Prima. Qui ordinariam iurisdictionem cum administratione, idè que imperium aliquod habent, vt Episcopus, Vicarius generalis, & Prælati omnes Ecclesiastici, in integrum restituere possunt. Ratio est, quia exercent officium nobile, sicuti explicauimus lib. 1. tr. 4. c. 5. n. 8.

Secunda. Delegati ad vniuersitatem causarum, si cum administratione iurium in territorio aliquo positi sint, causam restitutionis in integrum tractare possunt: quia ordinarijs æquiparantur. Ita docet Bartolus in cit. l. vlt. n. 4. Abb. hic n. 7.

Corollarium: Solus Princeps restituere aliquem potest aduersus sententiam sui delegati, vti Abb. hic monet, n. 7. Nam nec ipsemet delegatus in integrum restituere potest, nisi talis facultas ei specialiter commissa sit: Neque Ordinarius, v. g. Episcopus, quia delegatus in ea causa maior est Ordinario, c. pastoralis, l. 1. §. præterea, de offic. delegati. Inferior autem Iudex non restituit contra sententiam superioris, l. minor, ff. hoc tit.

6 Tertia. Qui simplicem ordinariam iurisdictionem habent, de causa restitutionis in integrum cognoscere non possunt. Ita habetur expressè in cit. l. vlt. & per sensum contrarium sumitur ex hoc c. Ratio est: Quia simplicem iurisdictionem habens, liberum officium non exercet, sed mercenarium, seu actioni merè civili deseruiens, vti dixi in cit. c. 5. n. 7. At verò restitutio in integrum est actus imperij mixti, ex nobili Iudicis officio proueniens, vt ibidem dictum est. Exemplum iurisdictionis simplicis, seu sine administratione, habemus in Authent. Habita, C. Ne filius pro patre; vbi Fridericus Imperator licentiam dat Scholaribus, vt lites suas, si velint, proponant eorum Magistris seu Professoribus suis, quibus ea lege iurisdictionem (videl. simplicem, & sine administratione) tribuit.

5 Quarta. Iudex delegatus in integrum restituere non potest principaliter, nisi id ei specialiter commissum sit ab eo, qui potestatem habet; videl. à magistratu habente meram, aut mixtum imperium; non item à Iudice habete iurisdictionem simplicem. Cum enim causam restitutionis tractare non possit, consequenter nec alteri delegare; quia nemo dat, quod non habet.

6 Quinta. Quicumque iurisdictionem aliquam, etiam delegatam tantum, habent, causam cognitam in integrum restituere possunt incidenter: v. g. si Minor vel Ecclesia in peremptorio termino læsa sit, Iudex delegatus eam restituere potest. Ratio est, quam Baldus dat in cit. l. vlt. Quia delegatus ad causam principalem, videtur etiam delegatus ad quamlibet eius incidentem: quare ad inci-

dentia, seu accessoria (nisi sint maioris præiudicij) non est necessaria noua commissio. Quare in l. quoties, 3. C. de Iudicijs, generatim docetur; quod iudex causæ principalis cognoscere etiam possit de quæstione incidente; tamen non possit, si principaliter moueretur. Et simili ratione supra dictum, ac singulariter notat Gl. in c. suscitata. ver. postulat, hoc tit. Quod procurator constitutus ad causam, consequenter restitutionem in integrum petere possit super articulo incidente.

Sexta. Arbitrator non potest in integrum restituere. Quia non imperium, imò nec simplicem iurisdictionem, sed meram cognitionem habet, partium consensu impertitam, iuxta l. 1. C. de receptis arbitratoribus, l. ait Prætor, 5. de iudicijs.

Si tamen in causam arbitratoris commissam incidat quæstio restitutionis in integrum, possunt ratione compromissi eam decidere, non vt ipsi restitutionem faciant, (quod fieri non posse, satis indicatur in cit. l. vlt.) sed vt determinent, num restitutio à Iudice petenda sit, necne. Vide Gl. hic ver. incidenter, Barrol, in cit. l. vlt. n. 5. Gl. in c. cum dilectus, 6. ver. nisi de his, de arbitratoribus.

§. In matrimoniali.

IN causa matrimoniali, aut in qua de libertate agitur, vel criminali, arbitrator assumi non potest; cum tales causæ iudices maiores requirant. Consentit l. non distinguemus, 2. ff. de recept. arbitratoribus.

NOTANDVM Vn. Causæ, quæ à maioribus iudicibus expediri debent, quia valde arduæ, & maximi præiudicij sunt; vt matrimoniales, & quibus agitur de hominis libertate; item criminales causæ, si criminaliter intententur; & quæcunque Iudicis officio nobili exercentur, eæ arbitratoribus committi non possunt. Vide Abb.

hic n. 4.

* * *

M m m m 2 CA-

CAPITVLVM VLT.

Beneficio.

PARAPHRASIS.

Si Ecclesia contra latam sententiam non appellauit, sed restitutionem in integrum petiuit, & repulsa est, iterum in alio iudicio restitui non debet, nisi ad petendam appellationem. Si tamen noua causa emergat, videl. nouæ defensiones ostendantur, tum simpliciter ei cognita causâ, restitutio concedi poterit. Habentur hæc in tribus ll. C. Si sæpius restitutio in integrum postuletur.

SUMMARIVM.

1. *Sententia lata super restitutione in integrum transit in rem iudicatam, nisi intra decendium appellatum sit.*
2. *Vnde contra denegatam restitutionem Minor aut Ecclesia non restituitur, nisi ex noua emergente causa.*
3. *Qui de causa restitutionis contra omissam appellationem cognoscere debet, est non tantum iudex à quo, sed etiam iudex ad quem, si quidem is sit absolutè Superior, secus est, si sit tantum Superior posita appellatione.*

NOTANDVM Vn. Sententia lata super restitutione in integrum transit in rem iudicatam, nisi intra decendium appellatum sit. Et merito hoc casu non auditur condemnatus, v. g. Minor, si petat restitutionem contra sententiam. Nam Iudex iterum cognoscendo de eiusmodi causâ, in dubiũ reuocaret, quæ antè ab ipso iudicata fuerunt. Quod fieri non debet, præterquam si noua causa restitutionis, vid. nouæ defensiones contra Aduersarium emergant. Exempla sunt: Si Minor, vel Ecclesia petens restitutionem in integrum propter non exhibita priuilegia succubuit, potest denuò petere, allegando præscriptionem, quam antea allegare intermiserat. Item, si Ecclesiæ, cum ob Procuratoris negligentiam in contracta vel iudicio damnnum passa esset, restitutio denegata fuit,

ed quòd à Procuratore dampni resarcionè recuperare possit, secundum ea, quæ ex multorum sententia dicta sunt in c. 2. hoc tit. Sed postea procurator reperitur, vel de nouo efficitur impar ad soluendum, restitutio ecclesiæ concedi debet: quia cum ea prius denegata fuerit veluti per accidens, quia à procuratore dampnum resarcire posse videbatur, hac autem causa, ac veluti obstaculo restitutionis remoto, manet integra causa, quæ perse est, restituendi ecclesiæ, videl. læsio enormis, alio remedio non emendabilis.

At verò restitutio causâ cognita concedenda est Ecclesiæ aut Minori, ed quòd non appellari. Quandoquidem hæc noua restituendi causa est, diuersa ab illâ, quæ antè diiudicata erat.

Sed quis Iudex de causa restitutionis contra omissam appellationem cognoscere debet. Respondet Bartolus in l. i. not. vlt. C. Si sæpius, Quòd non tantum Iudex à quo, sed etiam Iudex ad quem. Quòd verum est, si is sit absolutè Superior: secus, si sit tantum Superior, posita appellatione, vt Archiepiscopus comparatione subditorum Suffraganei sui. Talis enim adiri non potest, nisi ius appellandi competat. At verò post decendium à lata sententia ius appellandi non competit, nisi restitutio in integrum præcesserit, sicuti Abb. hic notat in fine c.

CAPITVLVM PRIMVM

cod. Tit. in 6.

Ecclesia.

PARAPHRASIS.

Si Ecclesia ex contractu, vel Iudicis sententia læsa sit, atque intra quadriennium petere restitutionem in integrum per negligentiam intermittat, postea ad beneficium restitutionis admitti non debet, nisi ostensum fuerit, præuarcatione, aut fraudem interuenisse; (quia videl. collatum fuit cum Prælato, seu administratore bonorum, vel is fraude circumuentus ne restitutionem peteret) aut si alia rationabilis

bilis causa adfit, propter quam Superior beneficium restitutionis etiam postea concedendum esse arbitretur.

S Y M M A R I V M.

1. Minor & Ecclesia integrum quadriennium habent ad petendam restitutionem quod respectu Minoris incipit ab exacto anno xxv. & durat vsque ad completum xxx. respectu vero ecclesie laesa incipit a tempore factae laesionis scilicet a tempore contractus celebrati, vel sententia lata.
2. Nomine ecclesie omnia loca pia & Collegia Clericorum ac Religiosorum comprehenduntur, etiam Xenodochia, si cum Episcopi auctoritate fundata sint; Confraternitates, si ad pietatem seu Religionis augmentum sint instituta. Collegia Studiosorum, non tanquam ecclesias sed quia in ijs multi sunt nati Minores, petere possunt restitutionem, sicut & qualibet respubl. aut Communitas. Nomine autem respubl. veniunt etiam ciuitates & vici, si iurium communium administratores habeant. Non autem capaces sunt restitutionis Congregationes seu Collegia opificum, mercatorum, &c.
3. Ecclesia gaudet beneficio restitutionis, etsi nondum extructa, sed primum extruenda sit.
4. Interdum ea etiam post quadriennium gaudet hoc beneficio, vti & respublica.
5. Causa beneficii huius restitutionis post quadriennium praeter collusionem & fraudem est laesio valde enormis, inculpata ignorantia aliudque iustum impedimentum obstant, quod minus intra quadriennium restitutio peteretur.
6. Et haec extraordinaria restitutio dari potest vsque ad annos xxx. vel xl.

NO T A N D V M I. Sicuti Minor quadriennium continuum habet ad petendam restitutionem, l. vlt. C. de temporib. in integrum restitutionis, ita etiam Ecclesia,

prout etiam habetur in Clem. vii. hoc tit. Sed discrimen est, quod hoc quadriennium Minori incipit ab aetate legitima, seu exacto anno xxv. & durat vsque ad completum xxx. At vero in Ecclesia laesa incipit a tempore factae laesionis, videlicet a tempore celebrati contractus, aut latae sententiae, sicuti Dominicus hic docet. col. 3. vers. Sed quando.

Nomine autem Ecclesiae intelliguntur omnia loca pia, & Collegia Clericorum, ac Religiosorum, comprehenduntur etiam Xenodochia, si cum Episcopi auctoritate fundata sint, l. omnia, 24. C. de Episcop. & Clericis, & ex communi docet Dominicus in c. seq. q. 1. Quin & simili ratione Confraternitates, si ad pietatem, seu Religionis augmentum institutae sint, teste Abb. in c. 1. extra, hoc tit. n. 15. vbi addit; Quod & Collegium Studiosorum in integrum restitutionem petere possit, non tanquam Ecclesia, sed quia in eo multi sunt nati Minores.

His adde, quod & Respublica, seu Communitas quaelibet perinde vt Ecclesia, restitutionem in integrum petere possit, l. quadriennij tempore post laesionem, Respublica, 4. C. Quibus ex causis maiores &c. Nomine autem Reipubl. etiam ciuitates, oppida, & vici comprehenduntur, si bonorum seu iurium communium administratores habeant; Non item Congregationes, seu Collegia opificum, mercatorum &c. vti tradit Abb. loco cit. Molin. tom. 2. disp. 574. n. 4.

Id in quaestione est. Vtrum Ecclesia gaudeat beneficio restitutionis, si nondum extructa est, sed extruenda: Exempli causa: Aliquis decem millia litigiosa legauit pro Ecclesiae extruentione, & ob negligentiam executoris deserta fuit appellatio interposita a testatore. Respondet Dominicus prope finem huius c. Si coepta est aedificari, tum gaudere; secus, si coepta non est, argum. l. 7. ff. de statu hominum, vbi dicitur; Qui in utero est, pro iam nato haberi, si de commodo eius agatur. Arbitror vero dici posse, etiam si Ecclesia coepta non sit aedificari, tamen vt causae piae restitutionem in integrum dari posse, saltem eo modo, sicuti & maioribus nati, & non privilegiatis ex causa iusta & euidente

M m m m m 3 conce-

conceditur, tit. ff. & Cod. Ex quibus causis maiores. Et ad id multum iuuare debet causa pietatis, ac religionis.

NOTANDVM II. Ecclesie (sicuti & Reipubl.) interdum etiam post elapsum quadriennium concedi debet in integrum restitutio.

QVÆRITVR primò: Vtrum id sit speciale in Ecclesia, & Republ. vt etiam post quadriennium ipsi quandoque subueniatur. Respondeo cum Mol. cit. disp. 574. n. 3. esse id speciale, partim propter fauorem publicum, qui semper manet: partim quia Ecclesie tanquam personæ fectæ citius succurri debet, cum per administratores gubernetur, quorum negligentia seu delictum non est æquum illi imputari. Sed Minor posteaquam ætatem legitimam consecutus est, maiorem fauorem iam non meretur, quam alij; ideoque ex ijs tantum causis subueniri ipsi debet, ob quas etiam maiores natu restituntur, vt dixi lib. 3, Th. mor. tr. 4. c. 11. n. 5, add. 1.

QVÆRITVR secundò: Quanam sint illæ aliæ causæ, præter collusionem, & fraudem, ob quas finito quadriennio Ecclesie in integrum restitui debent. Respondeo: duas potissimum à Doëtoribus afferri; I. Si læsio valde enormis fuerit, vt videre licet apud Couar. 1. resol. c. 2. n. 11 Mol. cit. n. 3, & sumitur ex c. penult, de rebus Ecclesie non alienandis. Quanam autem talis læsio censenda sit, Iudicis arbitrio committendum esse videtur, teste Couar. cit. n. 11. vers. Secundò. Mol. n. 3. in fine. II. Si inculcata ignorantia, aliudue iustum impedimentum obstitit, quò minus restitutio intra quadriennium peteretur, sicuti explicauit cit. c. 11. n. 4. Tale impedimentum in specie censetur, dum Prelatus, qui malè administrat, in uinis est, & non facillè adducitur, vt proprium factum retractet; vel si à Iudice, qui sententiam tulit, propter metum non audeat Ecclesia restitutionem petere, iuxta ea quæ notantur in c. tum ex literis, vbi Abb. n. 10. loc. cit.

QVÆRITVR tertio: Quanto tempo-

re Ecclesia, vel Respubl. post elapsum quadriennium ex supradicta aliqua causa restitui possit? Respondeo cum Couar. cit. c. 3. n. 12. in fine; Hanc restitutionem ex Iudicis officio extraordinariè dari posse, vsq; ad annos xxx. argum. l. sicuti in rem, C. de præscript. xxx. vel. xl. annorum, vbi Gl. margin. ait, ver. persecutione; Quòd contra Iudicis officium ordinariè non præscribitur ante tempus longissimum, videl. xxx. annos.

CAPITVLVM II,

Si aduersus.

PARAPHRASIS.

Si Prelatus aliùsue Procurator Ecclesie in iudicio agens confessionem fecerit, ex qua Ecclesia læsa fuit; post elapsum quadriennium, si restitutio in integrum peti per negligentiam intermissa fuit, amplius non conceditur; nisi rationalis causa aliud persuaserit. Ceterum si errorem qui in facto consistat, circa confessionem suam Ecclesie reuocare velit, semper auditur (sicuti & priuatus quilibet) donec causa finita sit.

SVMMARIVM.

1. Ecclesia læsa per Prelatum vel Procuratorem, qui in iudicio aliquid passus fuit, quod probari non poterat, succurrit duobus modis, petitione restitutionis in integrum, & reuocatione confessionis, allegando errorem facti (non iuris) commissum esse.
2. Error autem probari debet ante latam sententiam, non causa conclusam.

PRO intellectu huius c. aduerte; Si Prelatus v. g. nomine Ecclesie agens in iudicio quippiam fateatur, quod probari non potest, atque idcirco Ecclesia nocumentum incurrat, duplex modus est succurrendi: Primus, vt Ecclesia petat restitutionem in integrum, quo casu sufficere ei probare læsionem

nem grauem, cum hæc sufficiens causa sit restituendi Ecclesiam. At verò maiornatus ex hoc capite beneficium restitutionis post latam v. g. sententiam petere vellet, ex clausula Prætoris generali: *Siqua alia causa &c.* probare teneretur non tantum læsionem, sed etiam errorem facti in confessione commissum. Ita Gl. hic ver. confessionem, Petr. Anchar. col. 2. Dominic. col. 1. ver. Nota bene illam Gl. Alter modus est, si confessio reuocetur, allegando errorem commissum fuisse. Quod intelligi debet de errore facti, non iuris: Nam iuris error ordinariè excusatur l. 2. ff. de confessis, l. error, 8. ff. de iuris, & facti ignorantia.

Exempli causa: Si Prælati in iudicio fateatur, Capituli consensum ad alienationem rei Ecclesiasticæ interuenisse, cum non interuenierit, error facti est: Sin autem alienationem absque Capituli consensu factam Prælati in iudicio validam fateatur, seu

propter iuris ignorantiam non alleget, Capituli consensum non interuenisse; error iste obest Ecclesiæ: quamuis petere possit restitutionem in integrum.

Deinde necesse est, vt error facti, qui commissus esse dicitur, ante latam sententiam probetur, sicuti ex hoc textu colligitur, & habetur in c. vlt. de confessis, & tradit Gl. in cit. l. 2. vbi ait; Quod confessio facti erronea vsque ad sententiam reuocari possit.

Sed quid? Si in causa inclusum sit, ita vt nihil restet, nisi ferenda sententia, vtrum error facti reuocari possit. Negat Ioan. Monachus hic n. 2. argum. e. auditis, 8. de Procurator. quam sequitur Ioann. Andr. Dominic. Petr. Anchar, not. 5. Quia postquam in causa conclusum est, non admittitur probatio partis, atqui sine probatione error facti frustra allegatur. Nisi notorium sit, errorem commissum esse; vel Iudex ex officio de commisso errore cognoscere velit.

TITVLVS XLII.


DE ALIENATIONE IVDICII MV-

TANDI CAUSA FACTA.

CAPITVLVM I.

Ex quorundam.

PARAPHRASIS.

 I quis metu iudicij futuri, quia scit rescriptum contra ipsum impetratum esse, rem, super qua controuersia erit, alienet vendendo, donando &c. tum per rescriptum, quod impetratum erat contra alienantem, is ipse conueniri poterit, in quem res translata est.

SVMMARIVM.

1. *Contra alienantem dolo malo rem litigiosam in alium iudicij mutandi causa, datur actio in factum ad interesse, contra possessorem rei vindicatio.*
2. *In duobus autem casibus cessabitur quis dolo malo rem alienasse. 1. Si eam in extraneam personam transfudit. 2. Si in alium sub eodem iudice constitutum, sed potentiores alienauit.*
3. *Idem est de actore, si in causa iudicij mutandi actionem suam in potentiores dolo alienauit: succurrendum enim etiam ipsi est per restitutionem in integrum.*
4. *Contra*